

Q. H.
405,
7

(A 1880957)

16



Q. D. B. V.

De

REGNORUM

CONJUNCTIONE,

Inclyta Facult. Philosoph. indulgente,

in

Academia Lipsiensi,

Moderatore

M. ADAMO Rechenberg/

SS. Theol. Baccal. & Fac. Philos.

Assessore,

publicè disputabit

JACOBUS von Büllen/

Nobil. Svec.

A. M. DC. LXXV. 24. April.

L I P S I Æ,

Typis Viduæ JOHANNIS WITTIGAU.

J. D. Wagner. Cons.



101



ILLUSTRI
VIRO
DOMINO
ES. A PUFENDORF,

EQVITI AURATO,
S. R. MAJEST. SVEC. CONSILIA-
RIO AC DUCAT. BREMENS. ET VER-
DENS. CANCELLARIO,
ETC.

VITRICO SUO OB PATERNAM
CURAM
PARENTIS NOMINE ÆTATEM DEVOTE
COLENDO:

NEC NON

VIRO
NOBILISSIMO AC AMPLISSIMO
DOMINO
MARCO A KRON-
STROM,
S. R. MAJ. SVEC. REDITUUM PUBLIC.
PRÆFECTO,
ETC.

FRATRI UTERINO AMANTISSIMO

AC

CUM OBSERVANTIA JUGITER
HONORANDO,

HANC DISSERTATIONEM
PLURIBUS NEC PARVIS
EORUNDUM BENEFICIIS
OBSTRACTUS

*TESTANDÆ GRATIÆ QUAM DEBET;
NON REFERENDÆ QUANTAM
DEBET,*

JACOBUS A WULLEN,
D. D. C.

pe
ten
gu
tho
cup
ma
fen
mi
reg
tem
gro
vili
tun
fcer
am
DE
ia



A. I.

Dostquam DEUS Optimus maximus, regnorum arbiter, pro libertate suâ, auctô multùm genere humanô, regna & civitates potentiâ & imperiô diversas, in orbe extare voluit; principes non pauci, seu dominandi libidine, seu aliô etiam affectu impulsî, tales sub imperii unius compagem redigere, magnô sæpius molimine tentârunt. Quis ignorat, quæ ex antiquiori historiâ de Regum Assyriorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, Gothorum, Vandalorum, Hunnorum, aliorumqve studiô occupandi & conjungendi regna, leguntur tradita? Multi multa de iis hinc inde repetunt: mihi verò animus in præfenti est præcipuè ex recentioribus rerum annalibus, præmissâ consideratione philosophicâ, breviter disserere, ut regna, in Europâ cum primis, cultissimâ orbis parte, proximis abhinc temporibus, diversâ ratione fuerint conjuncta. Quod, dum aggredi paro, rei magnitudo & argumenti dignitas me, in civilis prudentiæ & historiarum campo parùm adhuc versatum, facilè absterrere poterat; sed confisus communi adolescentium juri, (quò prompta voluntas, aut conatus in re etiam magnâ censetur innoxius, certè excusandus,) aleam cum DEO jacere, non dubitavi. DEUS secundet cœpta, ut eveniant feliciter!

CAP. I.
APHOR. I.

Licet DEUS nunquam universi terrarum Orbis imperium uni concedere voluerit; tamen multorum regnorum conjunctio, nutu divinò sæpius legitur facta.

§. 1.

Curiosa magis quæstio, quàm utilis videtur esse: cur DEUS humano genere multiplicatò, nunquam uni principi, universi terrarum orbis concesserit imperium? Nos, cum sapientiæ divinæ aliter visum esse sciamus, causas certas ignoremus, heic potius agnoscimus divinam voluntatem, quâ, ut ex unò sanguine universos orbis habitatores produxit; ita habitationis & regnorum diversos statuit terminos. *Act. XVII. v. 26.* quos sine ipsius nutu & auspiciò, frustra quisquam audebit seu coërcere, seu proferre.

§. 2.

Quando autem in s. literis *Dan. II. vers. 37. 38. 39. & c. V. vers. 18. 19.* Nebucadnezari & Belfazari, omnes gentes dicuntur subjectæ; aut Augustus legitur censum egisse, *ἐν πάσῃ οἰκισμένῃ*, ex historiâ constat, innui vastum imperium, quò illi Reges præ aliis fuere conspicui. Nec aliter explicanda sunt elogia, quæ poëtæ & Scriptores vulgò Romanos decorârunt, ut: *Romani rerum Domini, Virgil. Aeneid. Libr. I. vers. 286.* Horatius, in *Carm. secul. str. 3.* canens, *Solem, urbe Româ nil posse majus visere:* & Claudianus *Lib. III. ad Stilic. vers. 136.* de Româ prædicat:

Armorum legumq; parens: quæ fundit in omnes

Imperium primi q; dedit cunabula juris.

Ipsi Imperatores *terra marisq; Domini* dicebantur, nec jam tum Christianismò imbuti, adeoque ad majorem modestiam compositi, dubitârunt *mundi sese dominos* appellare: quin titulus hic reperitur hodieq; in *Actis Concilii Chalcedonensis Act. XI. ac XII.* Nullâ fide ex historia quis probaverit, vel Romæ vel Cæsaribus Romanis unquam paruisse totum Orbem. Latissimè quidem patuit illud Imperium, sed extra
fines

fines sibi nondum iubjectos novit populos. Vix sextam partem mundi tunc cogniti intra imperii Romani ambitum olim fuisse certissimum est : tantum abest, Americam, plurimasque Oceani Insulas, aliaque nuper demum Europæ cognita, illi paruisse. v. *Conring. de Germ. imp. R. c. II.* Tristem & vanam adulationem, quâ Pontifex Romanus *Mundi Dominus* à quibusdam Canonistis appellatur, prudentes aut rident aut detestantur. Nec, orbi expedire universalem Monarchiam, *Bellarmino lib. I. de P. R. c. IX circa finem*, credimus. Quis enim mortalium tantæ moli par esse possit? Ut taceam de aliis incommodis, quæ indè rebus humanis nasci poterant. Augustinus certè *Lib. IV. de C. D. c. 15.* affirmat, *feliciores futuras res humanas, si omnia regna parva essent, concordia vicinitate letantia.*

§. 3.

Multa verò Regna sæpius nutu & auspiciò divinò, sub unius Imperii formam coaluisse, *Daniel* divinissimus vates, *Cap. II.* prædixit, & eventus in historia notatus comprobavit.

§. 4.

Qui quatuor Monarchiarum amplitudinem, & regnorum ad illas pertinentium potentiam expendit, rem extra dubium esse fateatur, necesse est. v. *J. Loccenii Period. Imperiorum.* *Ahas* vero secundæ Monarchiæ rectori, paruisse centum viginti & septem provincias, ab India usque ad Æthiopiam, divinus scriptor, *Estheris cap. I. v. 1.* testis est. Non minorem fuisse latitudinem imperii *Augusti*, præter *S.* historiæ fidem, & alia scriptorum testimonia, liquet etiam ex consiliò Augusti; quò, ut est apud *Tacitum Annal. I. 11.* inter cetera, quæ hæredibus suis reliquit consilia, illud præcipuum esse voluit, *coërcendi intra terminos imperii.* Cumque Tiberius dicta & facta Augusti diligenter observârit, igitur etiam ab hoc consilio, ne latum quidem unguem sibi discendendum putavit. Vid. *Tacit. I. 77. 3. & IV. 37. 4.* Nempe videbatur Augusto frustrâ in posterum fore studium proferendi imperii, cum jam latissimè pateret, ut propemodum magnitudine suâ laboraret, viribus conficeretur. *Flor. l. III. c. 12.* Alii tamen aliter de Augusti consilio sentiunt. Vid. *Boxhornii Dissertat. de Imp. Rom. XV. 16. & Forstneri Not. Polit. p. m. 82. & 599. seqq.*

§. 5.

Indè *Heinrici IV. Regis Galliæ* *αὐτάγκεια* laudanda est, dicen-

tis, Galliâ suâ se contentum esse. Majoris tamen laudis opus fuisset, si, quod de orbe Europæo pacandô agitabat consilium, ipsi efficere licuisset. Nam factâ novâ regnorum & civitatum, quæ in Europâ vigent, divisione, ac intra certos terminos coërcitione, quindecim tantum numerô regnis & rebus publicis emergentibus, orbem hunc pacatum fore existimavit. Valdè tamen vereor, si maximè Rex longius vixisset, ne frustrâ hæc consultatio per mores hominum fuisset futura. Quis enim Austriacis ac Hispanis persuasurus erat, ut aliis cederent, quæ magnâ vi hæctenus defenderant: ne dicam de aliis causis, quæ ceteros Principes, ab hac oblatâ transactione in diversum rapere potuissent. Erunt sanè ut vitia, ita bella, donec homines. *vide de hoc consiliô, Hartvici à Pere-fixe, de Reb. gest. Henrici M. ex versione Gallicâ in Germ. lib. p. 600. ad 622.*

APHOR. II.

Causa conjunctionis regnorum partim *DEUS*, partim *homines* sunt: ille, singulari providentiâ, quæ ex causarum nexu & eventu optimè noscitur, agit: Hi, virtute aut fortunâ, à primâ causâ concessâ, & ab ipsis applicatâ, quicquid valent, præstant.

§. I.

DEUM meritò *primam causam* conjunctionis regnorum appellari, apud Christianos haut est dubium. *Ipsè enim*, [ut divinum habet oraculum,] *Reges instituit, Dan. c. II. v. 21. 37. 44.* & Hieropsaltes hac de causâ in laudes potentix & sapientix DEI excurrit, quas ille in Imperiis vel provehendis ad fastigium, vel conservandis vel destruendis maximè facit conspicuas. *Psal. XLVI. LXXXVII. & CXXVII. Cyrus DEI unctus, à Prophetâ appellatur. Es. XLV. 1.* Omitto gentilium testimonia, quæ constare poterat, etiam ipsos agnovisse, divinò fatò regna crescere, florere, concidere, resurgere. *Augustinum præcipuè heic laudandum puto; nam is de Civ. Dei. Lib. V. c. 1. fol. m. 278. egregiè*

gregiè contra fortuitam & fatalem regnorum mutationem, à Stoicis & quibusdam Astronomis assertam, divinam providentiam asserit. Astrologorum qui regnorum mutationes ex stellarum positu derivant, ineptias refutat *Bodinus de Republ. Lib. IV. c. 2. in primis l. c. p. m. 621. seq.* Hieronymi Cardani errorem perstringit, quo ille, ut admirationem sui apud imperitos earum rerum excitaret, *maximarum civitatum ac imperiorum origines & incrementa ducit ab eâ stellâ, quæ extremam caudam Helices occupat, quam urbi Romæ nascenti verticalem fuisse tradit; Inde Romanum Imperium Constantinopolin, post in Galliam, hinc in Germaniam ejusdem stelle beneficiò deducit.* Nos causam principem, ut mutationis, ita conjunctionis regnorum *DEUM* agnoscimus. confer *P. Orosii Lib. II. Hist. c. 1. & Joh. Leunclavii Hist. Musulman. Turc. Proœm. de stat. rer. Turc. fol. 15.*

§. 2.

Hæ autem *cura DEI* sese maximè exserit in directione conjunctionis regnorum, & cernitur in eventu. Nam si quis heic consiliorum humanorum seriem juxta ac rationem expendat, ac curatius inspiciat exitum; deprehendet, intercessisse operationem divinam, quæ hominum consilia & actiones dissimiles ad ejusmodi finem redegit, qui nutu & ope solùm humanâ non potuisset impetrari. Certè divinæ providentiæ vis fuit, quæ Monarcharum, *Nebucadnezaris, Cyri, Alexandri M., Julii, Augusti, Constantini M., Caroli M. & ceterorum in regnis* conjungendis consilia, partim juvit, partim correxit, partim direxit; simulqve ostendit, quod ipse solus sit, qui corda principum habeat in manu, ut pro nutu suo, etiam in regnorum mutatione flectat & conatus secundet. Confer *Thuani sententiam de Imperii Hispanici causis lib. I. Hist. fol. m. 5. 6.*

§. 3.

Alteram Conjunctionis nostræ causam nominavimus homines virtute & fortunâ pollentes. Scilicet, quicquid *DEUS* in orbe hõc aspectabili hodiè efficit, causis plerumq; utitur secundis. Hæ, sunt homines, quos vel nascendi fors, vel alia fortuna suprâ ceteros mortalium elevit, ut leges dare, non accipere possint. Communi titulò Latinis principes appellantur. Qui, si virtute & fortunâ pollent, hîc quod aliis negatum est, non improspèro efficere successu possunt.

§. 4. Vir-

§. 4.

Virtutem verò dum nominavimus, præcipuè prudentiam intelligimus; quippè quæ in bonorum & malorum delectu consistit, & animi quandam sagacitatem & agendi promptitudinem includit. Hæc si connexa est cum fortitudine & potentiâ, principi haud dubiè multum, ad tantæ molis negotium feliciter conficiendum prodest.

§. 5.

Fortuna autem nobis non est cœcum fatum, aut Dea, sed [ut cum *Augustino* locò jam citatò loquamur,] donum DEI aut felicitas, à summò Numine procurata. Cujus, cum gentiles causam ignorârunt primam, in contemplatione hujus fermè hæserunt, Deamq; nomine tali notam finxerunt. Nihil enim crebrius in ore illorum est, quàm, ut ubi præter virtutem quid accidit, *fortunam* allegent. Confer, si lubet, *L. Vivis Annot. ad loc. Augustin. citatum*. Qui *fatum* appellant, Christianò sensu, cum *M. Minuc. Felice in Octavio*, illud explicare debent. *Quid enim aliud est fatum (quærit p.m. 81.) quàm quod de unoquoq; nostrum DEUS fatus est? qui cum possit præscire materiam, pro meritis & qualitatibus singulorum etiam fata determinat.*

§. 6.

Disjuximus partim, & partim conjuximus *Virtutem* atque *fortunam*: quia interdum aliqui in hoc jungendi studio, fortunam magis quàm prudentiam valuerunt; alii fortunati & prudentes simul extiterunt. Ita *Florus*, in præfat. de Imperio Romano loquitur, ad illud constituendum, *Virtutem & Fortunam contendisse*. In *Alexandro M.* virtutem pariter ac fortunam commendat *Curtius Lib. V. c. 7. lib. X. c. 5. lib. III. c. 13. lib. VI. c. 6.* & aliis locis. In *Carolo M.* aliisque Regibus, simile virtutis & fortunæ commercium deprehendes. Ut adeò verissimum sit, quisquis dixerit, virtutem sine fortunâ non efficere magnum opus. vid. *Ecclesiast. cap. IX. 13.*

APHOR. III.

Tituli seu modi conjunctionis, vel ex ultrò-neo consensu, vel ex vi nascuntur.

§. 1. Quot

§. 1.

Quot enim modi sunt, quæ aliàs civitatum rectores imperium acquirunt; tot etiam hîc agnoscimus, ubi de Conjunctione regnorum sermo est. Nam conjunctio talis cum acquisitione, naturam valdè communem habet.

§. 2.

Proindè non abs re fuerit, si dicamus, modos conjungendi nasci vel ex *Consensu*, vel ex *Vi*. Ex *consensu* regna conjunguntur, ubi per pactum aliquod, vel etiam alia ex causa, per electionem aut successionem, regnum aliud alii unitur. exempla infra notari possunt.

§. 3.

Ubi tamen inquirendum; an regnum alteri quod uniri debet, in arbitrio populi, an Regis sit. Ubi à populi voluntate dependet, manifestum est, non posse illud Regem, sine hujus consensu, alteri quocunque pacto cedere. Si verò regnum in patrimonio Rex habet, nulla causa adparet, cur ille pro lubitu non possit ad alium transferre. v. *Grotii Lib. I. de J. B. & P. c. III. §. 12. & 13.*

§. 4.

Deindè aliis etiam modis, regnorum unio aut conjunctio effici potest: puta, *testamentò*, *voluntariâ subjectione*, *pactò ex matrimonii vinculo inito*. Solenne enim principibus esse solet, per nuptias aut fœdera firmare, aut potentiam stabilire, aut nova regna acquirere. Nam, ut *Meleander apud Barclaj. Argen. l. III. c. 15.* disserit, *privatorum est eligere matrimonia, ex amicitie affectu, vel morum concordia*. Quæ regna hoc modò potentie Austriaco-Hispanicæ accesserint, ex annualibus temporum notissimum est.

§. 5.

De *subjectione voluntaria*, apud *Livium lib. VII. 30. 31.* exemplum extat insigne: ubi populus Campanus, se divina humanaque omnia, in ditionem populi Romani dedidisse legitur. Quæri autem de hoc unionis modò solet: *an etiam princeps debeat, sponte obsequium offerentes accipere?* Nobis non videtur dubium id affirmare, si populus antea aut careat Rege; aut si habet, contra pacta cum ipso inita, durâ servitute prematur. Nam si interdum justum est, pro alienis subditis arma capere, non iniquum fuerit, etiam hoc modo, vi, contra jus fasque oppressos recipere ac tueri. v. *H. Grotii lib. II. c. XXV. §. 8.* Nec

B

obstat,

obstat, quòd aliqui existiment, inde scandalum populo nasci posse, ut nunquam tuti in regno suo futuri sint principes; sed semper sibi timere habeant, ne populus à se deficiat. At verò gratis hæc dicuntur; nam si metuunt sibi hac de causa principes, pacta servent cum subditis, [qui non omnem libertatem in ipsos transcripserunt,] inita, necesse est. Non aliis parere optabunt, ubi princeps pactorum memor, imperium sine tyrannide exercet. Præterea multa, quæ in vitâ humanâ agere licet, exemplum nociturum præbere possunt; an autem propterea iniquè facta dici debeant, nondum causam dispiciamus. Aliter verò judicandum, ubi populus sui juris, se cuiuspiam principi ita addixit, ut regendi sui jus in eum planè transcripserit, nullâ ejus juris aut libertatis parte retentâ. Tunc ob tyrannidem exercitam, populo licere deficere, non facile dixerim. v. *Grot. lib. 1. c. 3. §. 8.* Nec quisquam probaverit, si quis clanculum commodis cum libertate propositis, populum alienum ad defectionem pelliciat. Nam, ut hoc sibi fieri nemo Principum vult, ita & alteri, ut fiat, cavere potius, quàm sollicitare debet.

§. 6.

Testamentò regna alteri accessisse, ex historia Romana constat. nam ut refert *Vellejus lib. II. c. 4.* mortuò Attalò, imperio Romanò Asia, populo Romano hæreditate relicta, conjuncta fuit, sicut relicta postea est à Nicomede Bithynia, eòdem *Vellejo teste. Justin. lib. V. cap. XI.* de Dario habet, quòd regnum Artaxerxi, Cyro civitates, quarum præfectus erat, testamento legaverit. Regnum Ægypti testamento regis Alexandrini, populi Romani esse factum quis ignorat? *Cicero de Lege Agrariâ* quærit. Justitiam hujusmodi conjungendi regna *Grotius de J. B. & P. lib. I. c. III. §. 12.* defendit, & certis cautelis limitat.

§. 7.

Hactenus de *modis conjungendi* regna ex consensu aut pacto aliquò natis actum est. Sequitur, ut paucis attingamus *vim*, quâ sapius regna coaluisse ex historiarum fide novimus. Vis illa armis exercitur. Inde armorum studium tantopere olim à Romulo Romanis commendatum, & mirificè postea excultum fuit; quippe quod unica quasi causa magnitudinis Romanæ.

§. 8. Sed

§. 8.

Sed ut *vis*, justus conjungendi modus sit, antè causæ justitiæ probanda venit. *Vis* enim seu Bellum, ob infinita mala, quæ secum fert, nulli ob solam habendi cupidinem inferendum esse, & sana ratio docet, & consensus gentium probiorum confirmat. *Tacitus*, in *Chaucis* laudat, *de Germ. c. 35.* quòd magnitudinem suam maluerint justitiâ tueri, sine cupiditate, nec bella provocaverint, id præcipuum virtutis ac virium argumentum rati, quòd ut superiores agerent, non per injurias assequerentur. Certè Romani, utut armis suis subindè causam probabilem prætexerent, interdum malè propter vim injustam audiverunt aliis. Ita enim ad Britannos *Galgacus* de his differit: *Raptores orbis, postquam cuncta vastantibus defuere terræ, & mare scrutantur. Si locuples est hostis, avari; si pauper, ambitiosi. Quos non Oriens, non Occidens satiaverit. Soli omnium opes atq; inopiam pari affectu concupiscunt; auferre, trucidare, rapere falsis nominibus, imperium; atq; ubi solitudinem faciunt, pacem appellant. Tacit. Agricol. XXX.* Durius adhuc est illud *Carneadis* de Romanis, quod ex *Cicerone* refert *Lactantius, lib. V. Institut. cap. 17.* si justis velint esse, hoc est, si aliena restituant, ipsis ad causas esse redeundum, & in necessitate ac miseriis jacendum. Ante ipsos *Alexander M.* titulum à *Lucano* poëta acutò & πολιτικῶ, lib. X. v. 21. *terrarum felix prædo* tulit. Simili modo *Turcas* regna sub imperium suum hæctenus redegisse notius est, quàm ut à nobis tradi prolixius debeat. Arma tractare præcipuum illis studium: ista non causis, sed successu metiuntur. v. *J. Leunclavii Præm. de stat. rer. Turc. Hist. Musulm. f. 6.* In Europa Christianâ solam gentem hispanorum studium militiæ maximè, ob regnorum cupiditatem retinere & profiteri, illustris *Baconus, Sermon. Fidel. XXIX. fol. m. 211.* differit. Verùm nescio annon hodiè ipsis alii, quoad hoc studium sint præferendi. Quis enim nescit, Gallos Hispanos armis superare? Igitur & hic rerum vicissitudo aliqua agnoscenda fuerit.

§. 9.

Nos vim in conjunctione regnorum, ubi causa vindicationis veri-juris deest, adhibendam esse, haut arbitramur justum. Latrocinium est, ob solam dominandi cupiditatem plura regna quærere. Quod gentes cultiores damnant, lex divina prohibet, & recta ratio detestatur: an autem primùm vi & injuriis potentiorum regna cœpe-

rint, heic non disceptabo. *Forstnerus in Not. Polit. ad Tacit. vol. I. p. 412.* hanc disputationem suam fecit & expedivit. Jus tamen non est in vi aut armis quærendum, sed in causis, quæ *partim* rationibus legum, *partim* consuetudine perpetuâ honestè impetrantium probari debent; & ut orbis Christianus cognoscat causam armorum justificam, publicè belli causa asserenda est. Profanum, imò impium dogma est *Hobbessii*, quo is in *Leviath. c. X. & XIV.* parum referre judicat, utrum actio justa an injusta sit, dummodo magnæ potentiæ argumentum sit. meritò hæc improbitas à *Joh. Templeto Anglo* notata & castigata fuit. v. *Id. Theolog. Leviath. Dogm. II. & VI.* adde *Antonii le Grand Institut. Philos. part. decim. art. 36. n. 12.*

§. 10.

Probè autem distingvendum inter belli *causas svasorias* (Polybio *περὸ φάσις* dictas,) & inter *justificas*, quæ generis nomine *αἰτία*, appellantur. Sic in bello Alexandri adversus Darium *περὸ φάσις* fuit ultio injuriarum, quas Persæ Græcis intulerant; *αἰτία* cupido gloriæ imperii & divitiarum. v. *H. Grotii lib. II. c. XXII. § 12. seqq.* De Ferdinando Hispano, *Thuanus Hist. I. ad ann. 1515.* memorat, quod sub colore religionis, quam omnibus suis actionibus prætexebat, ad ambitionem & inexplebilem prorogandi imperii cupiditatem, mirâ calliditate abusus sit. Difficile autem heic est causas belli accuratè discernere: nec meæ indolis imbecillitas, aut instituti ratio fert, ut illud argumentum exhauriam. Factum id est à *Dn. Sam. Pufendorfio*, Viro mihi ob cognationem paternam, non unò nomine colendò. *Lib VIII. de J. N. & G. c. VI.*

§. 11.

Regna vi aut injusto titulo conjuncta, rarò sunt diuturna. Nam ut tritum habet axioma: malè quæsitæ rarò ad nepotes perveniunt. Nemesis enim divina, haut tardo pede injustos prosequitur possessores. Jam hostem foris immittit, & terrore panicò animos deprimit; Jam opes & alia potentiæ fulcra subtrahit, & consilia aliàs non prava contra vertit. v. *Habacuc. II. 6. 7. & 8.* Alexander M. intra duodecim annos celeberrima orientis regna, sub imperium suum redegerat, quæ post ipsius mortem ob varias lites à Ducibus occupata, mox fuerunt separata. Hispanorum potentiam, quæ tot regnorum conjunctione, omnibus in Europa suspecta, & ob violentiam invisa fuit, mox poten-

potentior fortuna, DEO sic ordinante, imminuit, ut hodiè minus, quam superioribus temporibus, timenda videatur.

§. 12.

Prætereâ heic alia causa indagari potest, cur minus constans, modo expressa fit unio. Nempè manent tacita diversarum nationum odia, nec facile subsident, ubi diversa lingua mores & sacra populos adhuc distinguunt. Sed ubi partium non habetur firma unio, totius corporis solutionem sequi, vero admodum est simile. Accedit quòd magnam potentiam odium & invidia vicinorum comitentur. Etiam disjuncti inter se coeunt, capeffuntque consilia, quibus suis rebus formidabilem fortunam evertant. v. *Forstneri Not. Polit. in Tac. lib. IV. A. p. 600. seq.*

§. 13.

Denique ob indolis diversitatem, non omnes populi omni adfrescunt imperio. Alii imperantium asperitatem ferre possunt; alii non nisi modestiâ, cautâ prudentiâ; alii beneficiis reguntur. Notat in Græcis hujus rei ignorantiam, *Tacitus A. XI. 24. Quid aliud exitio Lacedæmoniis & Athenensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant. At conditor noster Romulus tam sapientiâ valuit, ut plerosq; populos eodem die hostes, dein cives habuerit.*

§. 14.

Interdum tamen accidit, ut singulari DEI conniventiâ, regna injustè quæsitâ & copulata, per aliquot seculorum periodos floreat. Ut in Imperiò Turcico videre est; quod hæctenus in pœnam Christianorum viguit, ipsisque timendum adhuc durat.

A P H O R. IV.

Conjunctio autem regnorum, vel fit cum juriurum priorum mutatione, vel communicatione, vel cum eorundem permissione. eò duntaxat modò, quòd Regem communem habeant.

B 3

§. 1. Quæ

§. 1.

Quæ regna vi bellicâ uniuntur, plerumque aut jura, quibus aliâs
 usa sunt, amittunt, aut communicant. Ita cum Carolus M. bel-
 li jure Germaniam magnam, quæ extra complexum Romani impe-
 perii fuerat, acquisivisset, nova Germanis jura dedit. v. *Bœclerum de*
Carolo M. Sabinorum & Albanorum jus olim cum concreverent
 in Romanos transfusum est, & una facta respublica, ut *Livius lib. 1.* lo-
 quitur.

§. 2.

Moderatæ tamen victoriæ species est, victis aut Regibus aut po-
 pulis relinquere jura, quæ habuerunt. Sic Cappadocibus victis per-
 missum à Romanis, uti, quâ vellent, reipublicæ formâ. Et *Polybius*
 celebrat Antigoni bonitatem, qui cum Spartam haberet in potestate,
 ut omnia mutaret, reliquit ipsis τὸ πατρίον πολιτεύμα καὶ τὴν ἐλευθερί-
 αν, rempublicam majorum ac libertatem. *H. Grotius*, ubi de temperamento
 circa acquisitionem imperii agit, heic consuli meretur, Nam, ut is re-
 ctissimè statuit, victis relinquere imperium, non tantum humanitatis
 esse, sed sæpè consilii: ita pari modò de regni juribus dicendum vide-
 tur. Si in conjunctione tali, [vi licet factâ,] jura antiqua regni re-
 tinentur, consultum victoris securitati magis fuerit. Sic à Quintio
 decretum, Corinthus redderetur Achæis, ut in Acrocorintho tamen
 præsidium esset. v. *Grotium laudatum lib. III. de J. B. & P. c. XV.*

§. 3.

Contra, ubi ultroneò consensu, sive electione, sive alio pacto,
 unum regnum alteri jungitur, saltem ut commune caput habeant re-
 gem, jura utriusque regni salva manent. Neque proceres faciliè con-
 sentient, ut alterum alterius jura imminuat, mutet aut quasi absorbe-
 at. Sic cum unio trium regnorum, Sveciæ, Daniæ & Norwegiæ olim
 fieret, inter præcipua unionis capita fuit: ut hæc tria regna unum dun-
 taxat agnoscerent Regem; singula tamen regna suis & domesticis & legibus,
 institutis ac immunitatibus uterentur. v. *Loccenii Hist. Svecic. lib. III. p. m.*
 89. Atque hoc modò non exsurgit nova civitas; sed duæ diversæ
 civitates per modum arctioris fœderis unitæ manent, & novum ali-
 quod systema, non autem civitas propriè dicta producitur. vid. su-
 præ laudati *Dn. Pufendorffii de J. N. & G. lib. II. c. XII. §. 6.* Quare in
 tali unione considerandum est; an duo plurave regna, ita se conjun-
 gant.

gant, ut pari deinceps quoad omnia jure, novum aliquod regnum
sublatis utrinque legibus fundamentalibus, remotisque familiis anti-
quis regnatricibus novum regnum condant: [quod factum esse haut
facile deprehendas:] an, ut dictum est, tantum uniantur, ut commu-
nem Regem habeant. In priori casu novum regnum nascitur: non
verò in posteriori, ut ex dictis constat.

APHOR. V.

In regnis sic conjunctis opus est præsidibus,
qui nullâ ambitione, avaritiâ & crudeli-
tate sint noti; contra prudentiâ, fide, in-
dustriâ ac autoritate polleant.

§. 1.

Nimirum opus habet princeps, ob negotiorum multitudinem, va-
riis adjutoribus, cum quibus rerum gerendarum molem quasi
partiatur. De omnibus illis heic agere necessum non est. Saltem
præsides, qui Principis aut Regis vicem in concreditis sibi regnis aut
provinciis tenent, describere institui; quò constet, quibus vitiis care-
re, & quibus virtutibus præstare illi debeant.

§. 2.

Nominavi præcipuè *tria vitia*, quibus carere præsidem maxime
oporteat: primò *ambitionem*, quâ ceu affectu flagrantissimo, si labo-
rat, fieri poterit, ut arreptâ occasione, artibus certis sibi populi obse-
quium conciliet magis, quàm principi, cujus locum tenet. Inde re-
gni aut provinciæ defectio timenda. Deinde præsidum *avaritiam*
& crudelitatem, populo esse exosa vitia, & naturæ humanæ inclinatio
& omnium temporum experientia probat. Certè rapacitas Procon-
sulum plerisque provinciis Romanorum odium incussit. *Justinus*
XXXIX.c.7.8. Ægyptii olim Persarum opibus infensi, quippe avarè
& superbè sibi imperitatum esse credebant, prompti imperio Alexan-
dri se submiserunt. *Curt.lib.IV.c.7.* Nec alia causa allegari solet, cur
maxima pars Belgii, jugum Hispanicum proximo abhinc seculò ex-
cussit, quàm crudelitas, quâ sub religionis prætextu Belgæ fuerunt
afflicti.

afflicti. v. *Famiani Strada de Bello Belgicò lib. IV. p. 186. seq. & lib. VII. pag. 406. seq.*

§. 3.

Contra verò *prudentiam, fidem, industriam & auctoritatem*, non tam ut ornamenta, quàm necessarias virtutes in tali præsidente requiri, apud prudentes dubiò caret. Nec principes facile quenquam ad id officii genus, sine præviâ censurâ morum exactâ, & probata in negotiis publicis fide ac industriâ deligent; nisi procul habuisse regni curam videri velint. *Confer sùs Boxbornii lib I. Polit. c. 8.*

§. 4.

Exerunt sese laudatæ virtutes, si subditorum ingenia, studia & mores explorare satagant præsides; & hinc imperium pro rerum statu attemperent: nec segnes sint in custodia munimentorum regni; siue illa natura constituerit, ut sunt, flumina, saltus, montes; siue etiam ad arcendum hostium impetum curâ principis fuerint disposita, ut arces, castella, urbes. Prædicat hanc curam in Drusò *Florus lib. IV. c. 12.* in tutelam provinciarum, præsidia atque custodias ubique disposuit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim. Nam per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit. Bonnam & Cesoniam cum pontibus junxit, classibusque firmavit. Neque aliter devicta gentes & regna custodiri posse, exempla Gallorum, Hispanorum, Belgarum aliorumque docent.

§. 5.

Quoniam verò ob vicinos potentiaë alterius imminentes, securitatem perpetuam regna sibi promittere nequeunt; præstat prompta hacere arma & si res poscat, in castris exercitum, ut de Chaucis, populo inter Germanos nobilissimo, refert *Tacitus, de Moribus Germanorum c. 35.* Simili modo Augustus Imperator statas legiones per regna & provincias distributas ad imperii securitatem aluit. Quod posterioribus temporibus neglectum, latissimam viam irruptionibus Barbarorum aperuit.

§. 6.

Plura de sollicitudine conservandi regna unita dicere volebam; sed dum rei difficultatem juxta ac sublimitatem expendo, supra vires meas esse sentio, interpretari velle, quæ non intelligo. Illustris *Baconus*, Cancellarius *πολιτικώτατ* *Serm. fidel. XIX. f. m. 189.* inter alia certam

VII.
certam regulam conservandi regna esse dicit, crescentem potentiam vicinorum observare. *Sanè [inquit] durante Triumviratu illò Regum; [Henrico Octavo, Anglo, Francisco Primo Gallo, Carolò Quintò Hispano;] ea viguit inter ipsos diligentia, ut nemo trium vel palmam terra acquirere potuisset, quàm reliqui duo statim rem ad equilibrium deducerent; Neque pacem fœnore redimere sustinerent; Idemq; præstabat fœdus illud (cui Quicciardinus securitatem Italiae attribuit,) ictum inter Ferdinandum Regem Neapolitanum; Laurentium de Medices & Ludovicum Sforzam, Principes alterum Florentia, alterum Mediolani. His subjicit laudatus Cancellarius Φορτικὸν ἀκρομα: Neq; recipienda est opinio quorundam ex Scholasticis; Bellum justè suscipi non posse, nisi ob injuriam aut provocationem præcedentem. Siquidem justus metus imminentis periculi, etsi violentia aliqua non præcesserit, procul dubio belli causa est competens & legitima. Aliter & (meò quidem judiciò,) rectius censet H. Grotius de J. B. & P. lib. 2. c. 1. §. 17. ratio enim utilis, rationem justi non semper habet. Quamquam praxis recepta aliud videatur suadere. vide, si lubet, discursum Gramondi Hist. Gall. lib. IV. p. 251.*

CAP. II.

De

Regnis in Europâ proximis abhinc temporibus conjunctis.

APHOR. I.

In omnibus ferè Orbis Europæi partibus diversorum regnorum facta deprehenditur conjunctio.

§. 1.

Dum ex noviori potius historia, quàm veteri de regnorum conjunctio-
ne, in parte orbis florentissima facta, differere paulisper institui; necesse est, aliquo ordine regna, quæ diverso tempore unita fuisse leguntur, disponam.

C

§. 2. Cum

§. 2.

Cum verò *Europa* secundum quatuor Orbis cardines regna numeret, non inconvenienter factum fuerit, si in consideratione hac ad illas respiciamus, ostendendo, quomodo ac quando, vel in *occidente*, vel in *septentrione*, vel in *oriente*, aut *meridie* talis regnorum mutatio legatur facta. Ceterum quæ de unione regnorum extra Europam dici poterant, hîc consultò præterimus.

APHOR. II.

Insignis regnorum conjunctio in Hispania, operâ Ferdinandi Catholici facta est, quam CAROLUS V. defendit armis, Philippus II. autem in immensum provehere laboravit.

§. 1.

Notum est tot ferè in Hispaniâ regna numerari, quot sunt provinciæ celeberrimæ. Nam postquam sensim Maurorum Dynastiæ fuissent extinctæ, provinciis, nomina regni domitores imposuerunt. Qui regnorum tituli cum diviso imperiò manserunt; donec anno circiter MCCCCLXX, Castellanium, Legionense, Granatense, Navarrenum, & Arragoniæ regna, in *Ferdinandi Catholici* Arragoniæ Regis potestatem venirent.

§. 2.

Ferdinandus [qui ob ejectionem Maurorum annò 1492. factam, *Catholici* nomen à Papa adeptus erat] felix admodum in acquirendis & jungendis novis regnis fuit. Nam per matrimonium, quod cum *Isabella* Johannis II. Castellæ & Legionis Regis filiâ contraxerat, laudata regna Arragoniæ univit. Dein regnum *Granatense* exactis Mauris, qui per octingentos ferè annos possederant illud, belli jure acquisivit. *Neapolitanum* regnum per *Ferdinandum* Consalvum Cordubensem occupavit: Regnum *Navarrae* Julii II. Papæ instinctu invasit; & *Johanni* Labretano ultimo Navarrae Regi eripuit. In utraque occupatione veri juris titulum *Thuanus Hist. lib. I.* desiderat. Quâ de causâ etiam CAROLUS V. dicitur Philippum II. filium monuisse, ut *Johannam* Labretanæ familiæ hæredem in uxorem duceret, eâ lege, ut jus

ut jus suum in Navarram ipsi conferret, ne in posterum occupatio regni exprobrari queat.

§. 3.

Cum verò post obitum Ferdinandi, regna unita à Philippi I. prole, quam ex Johanna Ferdinandi filia sustulerat, conservanda essent; commodum divinâ providentiâ sic ordinante, accidit, ut CAROLUS V. Imperator, primus hujus nominis Rex Hispaniæ sceptrum teneret. Is enim non tantum per patrem *Philippum* Austriacum, in communionem imperii adjectum *Belgium* defendit, sed & *Mediolanum* sibi strenuè asseruit & Gallos profligavit. vid. *Thuan. Hist. lib. I.*

§. 4.

Deerat Hispaniæ *Lusitania*, commerciis Orientis potens, & vicinis gravis. Quare ut hæc imperio Hispanico tandem accederet, casus Sebastiani Regis Lusitaniæ effecit: Mortuo enim laudato Rege, & brevi post decedente ejus magno patruo Heinrico olim Cardinale, Philippus II. Caroli successor, in suam potestatem Lusitaniam redegit; quia ut obtendebat, natus esset ex Isabella filia natu maximâ Emanuelis *ultimi* Portugalliæ regis. Johannes Dux Bragantinus contra urgebat, quòd Catharina uxor sua Philippo prior esset; ac etsi fœmina, filia tamen esset Eduardi, qui ultimi regis Heinrici frater fuerat, & quæ aliæ rationes allegebantur. Philippus tamen regnum obtinuit, & ad successores Philippum III. & IV. transmisit: Sub quò denuò avulsum esse ex historia nostri seculi novimus. De jure conjunctionis fusiùs agit *Thuan. Hist. lib. LXIX. & LXX.*

§. 5.

Restabat *Anglia*, quâ adjectâ, maris dominium solius Hispaniæ videri poterat proprium. Igitur Philippus II. spe regno Angliæ potiundi, matrimonium Mariæ Angliæ Reginæ ambivit & impetravit; spe tamen regni amplissimâ excidit. Et, cum post mortem Mariæ, sororis Elisabethæ nuptias eadem de causâ sollicitè expeteret, repulsam tulit. v. *Camdeni Annal. Rer. Anglic. & Hib. part. I. p. 4* licet Anglorum historiæ testentur, solum Philippum obstitisse, quò minus Elisabetha à Mariâ è mediò fuerit sublata. v. *Strada de Bell. Belg. l. IX. p. 503.*

§. 6.

Ceterum in hac narratione addi poterat incrementis Imperii Hispanici *America*, & totius *Africae* & *Asiae* litoralis tractus, qui sub nominatorum Regum auspiciis, Hispaniæ accesserunt, sed, ut jam præ-

occupavi supra, heic de regnorum unione quæ in Europâ facta est, agere institui. Aliàs fortè plura de Monarchia nova Hispanorum superbè jactatâ dici poterant. Suffecerit ex *Thuano Hist. lib. I.* notâsse; his initiis nomen Hispanicum antea obscurum, & vicinis pœnè nationibus incognitum, tunc primùm emerfisse, tractuq; temporis in tantam magnitudinem excrevisse, ut formidolosum ex eò & terribile toti terrarum orbi esse cœperit. Quò evenit, ut quod *Forstnerus in notis ad Tacit. lib. IV. p. m. 650.* observat, hodiè illa magnitudo omnibus adeò sit suspecta, ut ubi primùm ab illis scribi miles cœperit, omnes sibi strui insidias arbitrentur. Nam potentia Regis & genti innata ambitio & affectati orbis terrarum imperii opinio, etiam inania credibilia faciunt.

APHOR. III.

Gallis novorum regnorum tentata conjunctio, haut feliciter cessit.

§. 1.

QVI Gallorum in Italiam expeditiones à *Comineo & Guicciardino* descriptas, & *Vesperas Siculas* legit, de aphorismi nostri veritate haut amplius dubitavit. Nam quoties regna Lombardiæ, Neapolitanum, Siciliae & Cataloniæ acquirere tentârunt, plerumqve infeliciter conatus cessit. Cùm Siciliam seculo tertio decimò tenerent, mox ann. 1282. unâ eadem vespera, omnes per Siciliam Galli trucidati sunt: iisdemqve ejectis, Petrus Arragoniæ Rex constitutus fuit. Hunc Galliae Rex propterea ad singulare certamen, apud Burdegalam, locò ab Angliæ Rege dictò provocavit; sed Petrus non comparuit. v. *Ritis de Reg. Siciliae l. III. p. 152. seq.* Carolus IX. Rex Galliae regnum Neapolitanum non totis quinque mensibus totum subegerat, sed universa Italia in mutuum fœdus cum Maximiliano I. Imper. contra Gallum conspirante, mox habere desiit. *G. Hornius* inde in *Orbe suo Politico* colligit, DEUM & naturam Gallorum naturam suis limitibus includere voluisse, neqve egredi montes Pyrenæos vel Alpes, vel fluvium Rhenum. v. *de regn. Gall. n. IX.*

§. 2.

Henricus III. ubi post fratris mortem desertò regnò Poloniæ, Galliae sceptrâ capessivisset, non tantùm nummos duabus coronis

[cum

[cum lemmate ; *Manet Ultima Cælo* :] insignitos, die coronationis 15. Febr. An. 1575. in populum sparsit ; sed ut regnum Poloniæ Gallia uniret, missis ultro citroque legationibus diversis, cum Polonis egit, ut ipsum regem suum agnoscerent, persisterentque in fide sibi datâ. Cum verò nil proficeret, *illis Regem in Polonia non nisi præsentem regnare posse respondentibus*, tandem accepto, quod in suum locum alius fuisset suffectus, acquievit, majoribus domi difficultatibus irretitus, quam ut Polonis quoque, tanto terrarum intervallo distitis consulere valeret. v. *Piasecii Chronic. fol. 5. & Thuan. Hist. l. LII. ab init.* Nec optandum est, ut potentia Gallicæ nova regna accrescant ; nisi servire ceteri principes velint. Cardinalis Richelii vox haut dubiè vasti imperii consilia indicat : *Regem Gallie tribus clavibus indigere : Perpiniæ, ad Hispaniam ; Brisacô, ad Germaniam, & ad Italiam Pinarolô.* De novis Gallorum conatibus judicare nostrum non est.

§ 3.

Contra Gallia infidiati sunt *Angli*, regnantibus Philippo Valensio, Johanne, Carolo V. & Carolo VI. Nam Henricus V. rex Angliæ, dictum Carolum Gallia regem in tantas redegit angustias, ut sibi administrationem regni Gallici concedere, & excluso Carolo VII. filio suo, Henricum VI. victoris filium Gallia hæredem scribere coactus fuerit ; hæc tantum additâ conditione, ut Isabellam filiam CAROLI in uxorem duceret. Postea verò segescente Anglorum virtute, Gallia sub Carolo VII. iterum eluctari, jugumque Anglicum tandem excutere cœpit, cum superiori seculo regnante Mariâ, *Caletum* quippè clavem ad regnum Gallia, recuperarent. Quò factò non amplius potentiam Angliæ timent. v. *Hist. Orb. Terr. Geograph. c. IV. Hist. de regno Angliæ n. XVII. adde Bussieri l. IX. Hist. Gall.* Præterea omnibus constat, quomodo Hispani, excitatis dissidiis internis, Gallia fovendo sic statum turbulentum, inhiaverint : donec *Henricus IV.* autor Borbonia familia & primò rex Navarra, istas factiones sopiret ; modernus verò rex planè tolleret : adeò ut senescente Hispanorum fortunâ, nunc Gallorum vigere videatur.

APHOR. IV.

Regna magnæ Britanniaë post obitum Elisabethæ per Jacobum VI. Regem Scotiaë An. M. DC. III. conjuncta sunt.

§. 1.

Non memorabo hic ex veteri historia *Cæsaris Commentar. lib. IV. V. VI.* quomodo Britannia in Romanorum potestatem venerit; v. *Camden. de Romanis in Britanniâ p. 54. seq.* aut de celebri Heptarchia regulorum Anglo-Saxoniorum ex *Wilhelmo Malmesburiensi, & Camdeni Britannia de Anglo-Saxonibus. p. 75.* aut ut Anglia aliquando se Imperio Germanico submiserit: ad aliam historiæ partem hæc pertinent. v. *Linæ. D. J. P. l. I. c. IX. n. 25.*

§. 2.

Illud tamen fortè huc faceret, quomodo Hibernia in plura regna olim divisa, tandem sub rege Henrico II. Angliæ imperio subiecta fuerit. Item de extinctione factionis Eboracensis & Lancastrensis, quæ rosâ rubrâ & Albâ, ceu insignibus distinguebantur; quam Henricus VII. tum Comes Richmondiaë sopivit & sustulit. v. *Illustris Baconi. Hist. Henrici VII. & Hornii Orb. Imperant. de Regno Britanniaë. period. prim.*

§. 3.

Ad nostrum scopum præcipuè facit memorabilis illa unio, quâ *Jacobus VI.* mortuâ Elisabethâ, tria regna Angliæ, Scotiaë & Hiberniaë conjunxit. Nam cum per XII secula inter Anglos & Scotos bella fuissent perpetua, nequæ armis alterutra gens domari posset, tandem de matrimonio cogitatum fuit, quò honestò [*Judice Thuano Hist. lib. I.*] pacis inter principes medio controversia sopita atque unio regnorum constituta & Magna Britannia dicta fuit. v. *Hornii orb. imperant. period. secund. can. I. P. Piasecii Chron. A. C. 1603. fol. 253. & Nic. Rittershusii Exeges. Hist. Genealog. fol. 86.* inde Symbolum ejus: *Henricus Rosas, Regna Jacobus.* Vel, ut poëta effert:

*Unit utramq; Rosam HENRICUS, duo Regna JACOBUS
Regibus hinc laus est, gentibus orta salus.*

Rex,

Rex, ut unionis firmitatem populo persuaderet, nummos cum Iemmate: *Quæ DEUS conjunxit, nemo separet*: &: *Tueatur unita DEUS*, cudi curavit. Sed tamen minus voto respondisse conatum, eventus docuit. Ceterum Rex, ut ob studium religionis laudatus fuit passim; ita ob animi teneram constitutionem ab Historicis notatus vulgari dicterio legitur:

Rex erat Elisabeth, nunc est Regina Jacobus.

Ferunt gladium evaginatum ipsum aspicere non potuisse. Sunt tamen, qui id impressioni cuidam naturali à matre prægnante, in cujus conspectu Rizius confossus fuerit, attribuunt.

APHOR. V.

In Septentrione tria regna florent, Svecia, Dania & Norvvegia: Hæc conjuncta aliquando fuere; sed iterum Svecia divulgata fuit, propriosque Reges hucusque retinuit gloriosissimos.

§. I.

Sveciam, cui ab Austro Dania & ab Occidente Norvvegia contemina est, olim, ut hodie, distinctum fuisse regnum, annales loquuntur. Sed ut regnorum vicissitudo est, tempore quo *Margareta* incluta Heroïna, scepra Daniæ & Norwegiæ tenebat, laudatis regnis quoad commune imperium unita fuit. Nam postquam *Albertus I.* Megapolitanus, Rex Sveciæ pravis consultoribus usus, regni proceres & subditorum animos offendisset, eos à se abalienavit totos; tandemque *Margaretam* vicinorum regnorum Dominam, cum in bello expertus esset victricem, regno excidit. Quo factò, in comitiis proceres, laudatam *Margaretam*, post varias disceptationes, certis conditionibus An. 1395. elegerunt Reginam. Atque ita celeberrima regna septentrionis, in unum quasi Systema coaluere. v. *Joh. Loccenii. Rer. Svecic. Hist. lib. III. p. 75. seqq. & 86. seqq.*

§. 2.

Leges, quas religione Sacramenti, manu ac figillò firmavit, inter

ter alias erant: ne dignitates, munimenta, tribunalia, aliis quam Sveci-
onibus committeret: ne nova onera subditis, nisi volente senatu populoq; im-
poneret, ut rempubl. cum regni senatusconsiliis administraret. Quas cum
postea paulatim mutaret, & arces, provincias aliaq;ve publica admi-
nistranda suis Danis traderet, à proceribus admonita fuit datæ fidei
per Juramentum: at illa cavillando respondit: *Vos vestra diplomata
& privilegia benè adservate. Mihi curæ erit custodia arcium & propu-
gnaculorum.* Inde cum post Margaretam, successores, familia sinistra
opinionis & diffidentia semina spargerent, evenit, ut, accedente
Christierni II. tyrannide, seculò superiori illa regnorum unio fuerit
abolita. Ordinem rei gestæ laudatus *Loccenius lib. IV. Hist. narrat.*

§. 3.

Sigismundus, Johannis Regis Sveciæ è Catharina Jagellonica fi-
lia, maximus natus filius, cum Annò M. DLXXXVI. Rex Poloniæ fa-
ctus esset, in hanc curam incubuit, quomodo regnum Sveciæ junde-
ret Poloniæ. Nam patre Johanne An. 1592. defunctò, ipse cum regi-
na, data proceribus regni fide de reditu intra unius anni decursum, in
Sveciam regni sceptrum gesturus abiit. Quæ, cum solenni ritu, Ipsi U-
psaliæ An. 1594. collata essent, intempestivo religionis Pontificiæ
promovendæ studiò offendit Svecos, quippe constantes religionis
Lutheranæ confessores; ut obortis Polonos inter & Svecos de religi-
one disidiis, ipsi ejusq;ve posteris eapropter imperium abrogarent.
Adeoq;ve spes copulandi hæc regna iterum exspiravit. v. *Piassecii Chron.*
ad An. 1593. f. 128. & An. 1594. f. 133 seqq. & Thuan. ad annum citatum. Si-
gismundus Rex Poloniæ An. 1616. denuò consilia de occupanda Sve-
ciâ agitavit: Sed frustra. v. *Piassecii Chron. cit. fol. 357.*

APHOR. VI.

Poloniæ & Hungariæ regna, sub Ludovico
& Uladislao Hungariæ R. fuerunt con-
juncta.

§. 1.

Nempè ultimus Piasstorum *Casimirus M.* nepotem ex sorore Elisa-
betha Caroli Hungariæ Regis uxore, Ludovicum in consortium
regni

regni An. M.CCC. LXX. consensu ordinum assumserat. v. *Cromeri de Reb. Polon. lib. XII. fol. 208. & XIII. f. 219.* Hic per duodecim inde annos utriusque regni sceptrum conjunctim tenuit, sed eò mortuò divulsa iterum regna: Nam reliquit duas filias, quarum una Hedwige, quæ Jagelloni nupsit, Poloniam; altera Maria nupta Sigismundo, Hungariam obtinuit tandem, cum primùm maritus Poloniam à focero accepisset. v. *Annal. Silesie Joach. Curei fol. 123. seq.*

§. 2.

Sequenti seculo, sub filio Jagellonis Uladislao, dicta regna iterum coivere. Mortuò enim Albertò Imperatore & Rege Hungariæ, ad regnum hoc capeffendum evocatus fuit *Uladislaus*. Quod cum vix quinque annos administrasset, & in præliò ad Varnam Bulgariæ vicum, svasu Juliani Cardinalis temerè commisso occubisset, regna iterum separata sunt, & ex eò tempore manserunt. Perfidiam Regis vel potius Cardinalis describit *Cureus, Annal. Siles. fol. m. 242. seq.* v. *Cromeri lib. XXI. de Reb. Polon. f. 326. seq.* Regis Uladislai casum *Petrus de Revva, Comes Hungariæ, in epitaphio his versibus notavit:*

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,

Discite, mortales, non temerare fidem.

Me nisi Pontifices jussissent rumpere foedus,

Non ferret Scythicum Pannonis ora jugum.

v. *Specul. Honor. Dom. Austr. Sigism. à Pircken lib. V. cap. IV. sub fin. Rittershusii judicium in Exegesi Hist. Genealog. p. 93. est: Polonis hanc conjunctionem nunquam expediuisse: Rex enim si duorum regnorum cura distentus est, utrumq; eodem successu administrare non potest. Quare Ludovicus, quem memoravi, etiam oratoribus Poloniæ svadentibus regni sui susceptionem, respondit: sicuti duobus gregibus non expediat, unum habere pastorem; ita non conducere duobus regnis unum habere Regem.* v. *Cromerum l. c. fol. 229.*

§. 3.

Maximilianus Archidux Austriæ An. 1587. Poloniam domui Austriacæ copulare meditabatur; sed irritò successu. Nam ab aliquibus tum temporis Rex denominatus, sceptrum regni milite instructus Polonis extorquere dum nitebatur, mox à Zamosciò victus & captus, regno & regis titulo cedere coactus fuit. v. *Piasecii Chronic. fol. 73. seq. & 94.* Existimant Poloni ejusmodi conjunctionem evertendæ libertatis suæ, si non initium, certè medium fore. Quare etiam con-

D

nubia

nubia Austriaca ipsis suspecta sunt. Quod exemplo Sigismundi III. Regis, nuptias Annæ Austriacæ ambientis, laudatus *Piascius* ostendit. *ad ann. 1592. fol. 113. seq. §. 4.*

Ceterum de aliis regni Polonici incrementis agere poteram: ut de *Lithuania* unita ipsi ab Uladislao Jagellone, qui susceptâ fide Christianâ, & inito cum Regina Hedwige matrimonio, sempiterno Jure ducatum illum regno adjunxit. De Borussia, item Livonia, quæ abolitô ordine Teutonico magnam partem Poloniae accesserunt. Sed cum magis regnorum quàm provinciarum unionem describere mihi constitutum sit, hæc nunc præterire visum est. v. *Cromeri Hist. de Reb. Polonor. lib. XV. & Sigismundi L. B. in Herberstein Rerum Muscovitic. commentariis, de Moscorum bellis à Jo. Levvenclajo annexam Hist. fol. 223. sq.*

APHOR. VII.

Regnum Hungariæ & Bohemiæ cum antea aliquoties fuissent unita, proximo abhinc seculo Ferdinandus I. Caroli V. Imperatoris frater, matrimonii jure illa denuò conjunxit, & ad hæredes hucusq; transmisit.

§. I.

Quomodo Dalmatiæ & Croatiæ regna ad Hungariam accesserint, *Antonius Bonfinius, Rer. Ungar. Dec. II. Lib. IV. fol. 224. seq. refert.* De unione Hungariæ cum Bohemiæ & Poloniae regnis tentatâ, *Sigismundus à Pircken lib. II. c. IIX. recenset.* Scilicet Wenceslai III. Regis Bohemiæ & Poloniae filius ejusdem nominis, per electionem rex Hungariæ An. 1302. factus, illud, mortuo patre, Bohemiæ unire cogitabat. Ast regno Hungariæ, patre adhuc superstite, substituto Otone Bavarô mox privatus fuit. v. *Mich. Riti de Reg. Ungar. lib. II. & cum post obitum patris, regnum Poloniae, instructus exercitu occupare, ne à Bohemia divelleretur, auderet, in itinere Olmuzii à Nobile Thuringo Conrado à Potstein interfectus est. Atque cum ipso stirps Primislai, qui à stivâ An. 722. ad sceptrum promotus fuerat An. 1306. desit.*

§. 2. Po-

§. 2.

Postidea temporis, factis in utroque regnò variis mutationibus, tandē Ladislaus V. Rex Hungariæ, puer adhuc solenni more in regnū Bohemiæ eligitur. Quò factò unius imperio duo regna vicina subfuerunt. Verùm ut sunt res humanæ incertæ, mox in vere adhuc juventutis An. 1457. nuptias Pragæ cum filia Caroli VII. Regis Galliæ celebraturus, inopinatâ morte ipse exstinctus fuit. v. *Bonfin. Dec. III. lib. VII. fol. 482. & lib. IIX. fol. 501. & Pircken. cit. lib. V. c. I. & XI.* Regnum itaque Bohemiæ hoc casu separatum, alium Regem habere cœpit. Donec Matthias Rex Hungariæ An. 1468. victo Georgio Socero, etiam Bohemiæ Rex salutaretur. v. *Bonfin. Dec. IV. lib. II. fol. 556. seqq.*

§. 3.

Prolixum foret heic enarrare, quæ mutationes prius intercesserint, quàm Ferdinandus I. ductâ Annâ Ladislai Ungariæ Regis filiâ in matrimonium, regna Hungariæ & Bohemiæ, cæso à Turcis uxoris fratre ad Mohazum, adeptus sit & ad successores Austriacos hætenus transmiserit. v. *Jo. Sambuci, Rer. Ungar. Appendic. Joh. Dubravii Hist. Bohem. l. XXXI. XXXII.* Nemini ex recentioris historiæ scriptoribus ignotum est, quantis turbis regnum Hungariæ & Bohemiæ propter Austriacorum, imprimis Ferdinandi II. successionem hoc seculo fuerit involutum. consuli potest *Piasecii Chronic. ad An. 1618. seqq.*

APHOR. IIX.

Imperio Germanico multa regna olim unita fuerunt, quæ hodiè separata sunt.

§. 1.

AMpla hîc differendi materia suppeteret, nisi illa ab amplissimò *Conringiô* jam occupata & more suo, hoc est, doctissimè pertractata esset. v. *lib. de Finib. Imper. Germ. & de Germanorum Imper. Rom.*

§. 2.

Scilicet postquam ad Germanos Imperii Sacri dignitas translata esset, non ita angustis (ut hodiè,) arctabatur finibus. Ab omni parte regna accesserant, quæ amplitudinem aut potentiam, aut augebant, aut majestatem venerabantur. Ab Ottonis M. ævo ad Friderici

rici II. tempora, Polonia ferè semper & subiecta & tributaria ei fuit. Regnum Dania, binis per intervalla vicibus eidem imperio obnoxium fuit. Angliam se aliquando laudato imperio submisisse post Seldenum, Limneus de J. P. lib. I. c. IX. n. 25. indicat. Ipsa Francia Occidentalis, in obsequio Germaniæ Regum aliquo tempore fuit. Regnum Italie in perpetuum Germanico imperio accessisse idem Conringius l. c. c. IX. probat. Burgundicum & Arelatense regnum in terris Germanico imperio debitis enatum, eidem perpetui fœderis lege sociatum fuit. De regno veteri Lotharingico itidem constat, quòd imperio accessitum legatur. Hungariæ regnum, antequam sese in libertatem asseruerat, in obsequio imperii fuisse laudatus Polyhistor. c. XVII. docet. Bohemiæ regnum olim hodieq; imperii finibus inclusum fuit; quamquam Rex Bohemiæ nec paria cum ceteris in imperio statibus jura habeat; nec in partem ferundorum onerum publicorum pertrahi solet.

§. 3.

Hæc regna quomodo ab imperio successu temporis, vi, jure, injuriæve fuerint avulsa, & quando illud vicissim in hosce angustos limites reciderit, alibi docetur. Meum non est, illa novâ tractatione persequi, quæ ab aliis justis commentariis fuerunt illustrata. v. Conringii Epistolam ad Guilhelmum Ducem Politico quondam Aristotelis operi præfixam, & Limnei de J. P. Imp. Rom. lib. I. c. IX. Potius DEUM precor, ut principes Europæ, qui sceptrâ ipsius auspicio tenent, regat atq; consilia pacis secundet, quò rem Christianam, quæ in ipsorum manu est, Nominis divini gloriam unicè respicientes curent. Fiat!

ADDITAMENTA.

- I. **I**nimicos magis clementiâ, quam vindictâ severâ aliquando vincî posse, exemplum Regis Israelitarum Davidis etiam probat. 2. Sam. XIX.
- II. Falsa est hypothesis, ante civitates nihil proprium, nihil alienum, nullum matrimonium, & quidlibet in quemlibet fuisse licitum.
- III. Vis consilii experta mole ruit suâ.
- IV. Nihil in speciem fallacius est, quam prava religio. Ubi Deorum numen prætenditur sceleribus, subit animum timor, ne fraudibus humanis vindicandis, divini juris aliquid admistum violemus. Liv. l. XXXIX. c. 16.
- V. Non est verisimile, Adalbertum in Borussia Evangelium prædicantem, arreçtis auribus boves, eqvos, asinos, capras, sues, quasi monita ejus benè intelligerent, auscultasse. v. Dubravii Hist. Bohem. l. VI. fol. m. 47. illud tamen non absurdum est, catellum nomen suum ac titulum, quòd vocatur, apprehendere.
- VI. Titulos honestè ambire & gerere non est contra jus naturæ. Nec tamen inferre licet; ergò jus naturæ præcipit usum titulorum.

S. D. G.

Conjuncta regna disputat
Jam WÜLLIUS. Conjungo ego
Facto bono Votum bonum,
Ut, qui quibusdam Parvior
Videtur hæctenus, fiet
Mox Magnus Arte & Artibus.

FRIDRICUS Geißler / Silesius,
Phil. & J. U. D. ac Prof. Publ. Academ.
h.t. Rector.

Ad
Nobilissimum Adolescentem
DN. JACOBUM à WULLEN
De
REGNORUM CONJUNCTIONE
disputantem

D. FRID. RAPPOLT. PROF. PUBL.
& Facult. Theol. h.t. Decanus.

Vitricus egregio quondam mihi plaudit Jambo,
Ornanda ut primum publica sparta datur.
Versiculos ego, docte, duos tibi tresve negarem,
Dum scitis animas pulpita nostra tuis?
Hoc Musæ, hoc Charites, hoc & prohibessit Apollo,
Et quæ nos Gelli junxit amore fides!
Pango, sed ut voti plus insit, quàm Genii illis:
Nam sensim versus deserit ille meos.
Regnorum tibi materies conjunctio: Regnis
Olim opera & Regum proderit ista rei.
Auguror: ingenium neque fallat nobile vatem:
Magnus & exemplum Vitricus ipse dabit.

Ad Nobiliss.
DN. RESPONDENTEM.
Europæ dum cuncta suo dispersit Enyo
Turbine Regna, vetus quæ sociârat amor.

Haut

Haut importunè facundo edisseris ore
Vincula, Republicæ queis coiisse queant.
Grator, & ut quondam Regnorum in cœtibus orans
Sis, grandis veluti Vitricus, ipse, precor.

L. JO. OLEARIUS, P.P.

Glutine quo nostrum coalescant Regna per Orbem,
Judicio promptus, promptus & ore doces.
Scilicet hæc nostro tibi nata scientia Pindo,
Aula tibi praxin Svecica, credo, dabit.

properab.

*De Nobiliss. Dn. Respondente præclara omnia
ominatus*

L. JOACH. FELLERUS, P.P.

Ad Nobilissimum

DN. RESPONDENTEM

Amicum suum & σύνοικον perdilectum, amica
παράνεστις adjecta

à

P R Æ S I D E :

Regibus est studium regnis conjungere regna:
Sed studium studio jungere, crede, Tuum est.
Maeste ergò virtute Tuâ clarescere: Magni
Vitrici & exemplum & cura monere potest.
Incluta sic gratum repetet Te patria civem.
Nam Tibi quod quondam debeat, Arctos habet.



Handwritten signature or mark.

Handwritten mark or initials.

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

